



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 Vtrum materia prima habeat aliquam entitatem actualem
ingenerabilem, & incorruptibilem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

dicemus. Scotus vero etiam naturaliter putat id esse possibile, vt, v.g. in morte hominis vel alia simili: admittit enim ibi corruptionem substantialem sine generatione, & cadauer nihil aliud esse, quam hoc indiuiduum corpus his accidentibus affectu, & in nulla inferiori specie substantiali constitutum. Hoc autem consequens per sese mihi videtur absurdum & incredibile: non enim magis potest concipi hoc indiuiduum corpus per se existens sine ulla specificatione, quam hic spiritus extra omnem speciem, vel hoc coloratum re ipsa affectum hoc colore, & nulla specie coloris. Et ratio est supra tacta, quia indiuidua entitas necessario differt essentialiter ab alijs, & ideo necessarium est, vt in se sit constituta in propria essentia non communi alijs. Vnde confirmatur, nam ex dicta positione sequitur, rationem genericam & specificam distingui realiter in vna & eadem re, quia sumuntur ex formis realiter distinctis: consequens autem falsum esse constat ex dictis supra de vniuersalibus, & declarabitur etiam in sequentibus rationibus.

XX.

Tertia ratio sumitur ex differentia inter essentialem compositionem physicam, ac metaphysicam, quas velle in hoc equiparare, causa est erroris, cum altera in rebus, altera in conceptibus existat. Argumentor igitur, nam si dari potest forma physica, quae solum conferat gradum genericum: ergo quot sunt gradus generici & specifici substantiarum materialium, tot erunt multiplicandae formae substantiales realiter distinctae, consequens est falsum: ergo. Sequela probatur à paritate rationis: quae enim ratio afferri potest, ob quam quidam gradus genericus datur per propriam formam realiter distinctam, & non alij? Maxime, quod iuxta sententiam quam impugnamus, non solum in rebus, quae videntur eleuari ad altiorum gradum corporum, vt sunt viuientia, sed etiam in infimis, & inanimatis corporibus distinguitur forma dans esse corporis, à forma dante esse ignis, aut lapidis, vel aliud simile: quae contractio est cum minima diuersitate, quae esse potest inter aliquod genus, & differentiam substantialem: si ergo illa sufficit ad realem distinctionem formarum, quaelibet sufficiat: vnde non defuerunt Philosophi, qui consequens illud admitterent, est tamen non solum falsum, sed etiam ridiculum. Primo, quia constat euidenter inductione superius facta ad abstrahendos conceptus generis differentiae, & speciei, non esse necessariam illam distinctionem realem formarum, vt patet in angelis, & accidentibus. Secundo, quia sequitur multiplicandas esse in homine tres animas, quae est sententia omnino falsa, vt ex scientia de anima suppono. Imò plures etiam multiplicandas erunt, nam in gradu sentiendi potest aliqua conuenientia essentialis abstrahi inter hominem, & aliqua animalia perfecta, quae non fit communis omnibus animalibus, & in ratione intelligendi potest abstrahi ratio generica communis homini & angelis, quae per propriam differentiam ad hominem contrahatur. Vnde ulterius sequitur, innumeras formas realiter distinctas esse asserendas in singulis compositis, quia differentiae genericae & specificae possunt varijs modis multiplicari, iuxta varias conuenientias & differentias, quae facile possunt in rebus considerari, & secundum eas possunt varijs conceptus communes vel particulares abstrahi. Est ergo magnus error in Metaphysica & Philosophia propter modum nostrum concipiendi confusum vel distinctum, ex quo saepe oritur generum & differentiarum multiplicatio, reales ac physicas formas distinguere. Alioquin non vnam tantum, sed duas vel tres corporeitatis formas ponere oporteret: vnam corporis in communi vt est genus ad corruptibile & incorruptibile, simplex vel mistum: aliam corporis corruptibilis aut misti vt sic. Quae omnia ridicula sunt. Vnde non solum necessarium non est propter has mentis operationes formas ipsas multiplicare.

Abiurda ex
opinionem as-
serente for-
mam corpo-
reitatis.

Notatum di-
gnum.

verum etiam illis repugnat, quia de ratione proprii generis, & propriae differentiae est, vt eandem reiectentiam dicant diuersi modo conceptam.

Quod tandem confirmatur, quia impossibile est, dari formam substantialem dantem specificum gradum substantiae, quae non det etiam illum gradum genericum, & effectum formalem, quem dare fingitur forma corporeitatis distincta: ergo & superflua, & impossibilis est talis forma. Consequentia est euidentis, quia idem essentialiter praedicatum, idemque effectus formali non potest eidem rei conuenire per duas formas realiter distinctas. Antecedens vero probatur, quia non potest dari forma substantialis, quae conferat specificum gradum, quae essentialiter non includat communem ac genericam rationem formae substantialis informantis materiam, sed haec praecisa ratio sufficit ad constituendam formam corporeitatis: ergo forma corporeitatis non est specialis forma, sed est quaelibet forma substantialis considerata secundum communem rationem formae substantialis informantis. Minor probatur (reliqua enim clara sunt) nam ex hoc praecise, quod aliqua substantia intelligatur composita ex materia, & forma substantiiali, essentialiter est substantia corporea, seu corpus de praedicamento substantiae: nam ex vi talis compositionis, & est essentialiter distincta à substantia incorporea, & est capax quantitatis seu trine dimensionis, in quo consistit ratio substantiae corporeae. Vnde forma corporeitatis vt sic, non dicit, nec requirit, quod ipsa corporea sit seu extensa, sed solum, quod informet materiam: ratione cuius compositum inde resultans, sit capax trine dimensionis: nulla est ergo necessaria aut possibilis forma media, quae det esse genericum corporis, sed quaelibet forma substantialis ex vi suae genericae rationis illud confert.

Relinquitur ergo ex omnibus dictis, primam causam materialem substantiarum generabilium non esse aliquam substantiam integram: neque vllum corpus aut compositum ex materia & forma: ac proinde ad substantiarum generationem non supponi per modum subiecti, in quo generatio recipiatur, aliquod corpus ingenerabile & incorruptibile, sed solum materiam primam, solum (inquam) quoad substantiam: nam quoad accidentia quid dicendum sit, postea videbimus.

SECTIO IV.

Verum materia prima habeat aliquam entitatem actualem ingenerabilem & incorruptibilem.



Athenus explicuimus potius quid non sit materia, quam quid sit: nunc hoc secundum inquirendum est, quia non possumus causalitatem materiae, & rationem cauendi declarare, nisi prius sciamus quid entitatis habeat ipsa materia.

Certa aliquot stabilimur.

Vtergo ab his, quae certa videntur, incipiamus, primo indubitatum esse videtur materiam, quae actu est sub forma, & cum illa componit substantiam corpoream, habere aliquid entitatis realis & substantialis, & realiter distinctae ab entitate formae. Totum haec assertio sumitur ex Aristotele 8. Metaphys. textu 3. & 12. Metaphys. textu 14. & 2. de anima, textu 2. & alij locis, in quibus diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum. Quia vero materia non est substantia completa, ideo 1. Physic. textu 66. & 69. ait materiam esse ens, non vt hoc aliquid, sed vt subiectum, eiusque entitatem explicat per analogiam ad materiam artificialem, & text. 79. & sequentibus ait propius accedere ad rationem substantiae, & li. 2. Phys. text. 10. materiam dicit quandam naturam. Similiter Plato in Timaeo materia sub ente consti-

constituit, eiusque naturam latè & optime declarat: interdum tamen vocat materiam nō ens, in quo reprehenditur ab Aristot. quia esse non ens, magis conuenit priuationi quam materię. Sed est dissensio in voce tantum: appellatur enim non ens, sumpto ente per antonomasiam pro ente completo, quod est ens simpliciter: conueniunt etiam in hac assertionē omnes interpretes Aristotelis, Auerroes i. Phys. tex. 66. & de substantia orbis c. 1. Simplic. 1. Phys. tex. 69. Philop. tex. 60. Themist. tex. 61. & D. Thom. quæst. de spirit. creatur. art. 1. ait, materiam primam esse in genere substantię, & ex aliis locis, quæ statim referam, idem colligitur.

III. Et probantur breuiter singulę partes. Prima quidem, quia materia nō est omnino nihil, alioqui nullum verum ac reale munus exerceat in natura, & dū res, quæ corrumpuntur, in materiam resoluuntur dicuntur, in nihilum redigerentur, & dum ex materia producantur, ex nihilo herent, atque ita nihil materia deferuieret ad generationes & corruptiones, neq; ad euertendam perpetuam rerum creationem & annihilationem: est ergo materia aliquid rei: ergo maximè habet, cum est coniuncta formę & componit cōpositum. Vnde August. 12. Confess. c. 7. & 8. ait materiam esse creatam à Deo, non quæ sit nihil, sed propenihil, nec nullares, sed penè nullares. Etque de hęc certum, & infra etiam ratione probabitur materiam esse creatam à Deo, vt constat ex 1. par. quæst. 44. art. 2. & quæst. 46. art. 1. ad 3. quod autem creatur, aliquid entitatis realis accipit, alioqui tam maneret infectum sicut antea.

IV. Secunda pars ex eo euidenter probatur, quod materia prima essentialiter componit substantiam. 8. Metaph. text. 15. 16. & 36. & lib. 9. in fine, & infra latius tractabitur. Substantia autem non componitur, nisi ex substantiis saltem incompletis. Item substantia composita aliquid rei addit præter formam, & illud non est accidens; est ergo aliquid substantiale. Denique materia primo eo modo, quo est ens, non est in subiecto: nam hoc maximè repugnat illi cum sit primum subiectum.

V. Vltima pars etiam est clara, quia materia est entitas realiter separabilis à qualibet forma particulari determinata, quod satis est vt à forma sit in re ipsa distincta: non distinguuntur autem solum modaliter: nam forma substantialis non est modus, sed res verā habens propriam entitatem; vnde interdum naturaliter etiam conseruari potest separata à materia, vt anima rationalis, & per potentiam absolutam quælibet forma potest separata conseruari. Distinguitur ergo materia à forma tanquam res à re. Et confirmatur; nam compositio substantię ex materia & forma est realis & physica, & non ex re & modo: ergo ex duabus rebus. Deniq; cum materia sit perpetua, & ante formam, euidenter est distinguere realiter à forma, supponendo formam nō esse tantum aliquem modum, sed verum actum, & propriam entitatem, quod etiam est certum, cum sit res perfectior, quam materia, de quo infra latius dicitur. Sencinas verò 7. Metaphysicę, quæstione 19. quamuis hanc partem veram esse concedat, addit tamen posse aliquem defendere, materiam non esse actum distinctam à forma, quia non habet esse distinctum. Sed quidquid sit de esse existentię, de quo statim dicitur, neutro tamen negare potest quin secundum entitatem essentię alia sit entitas materię ab entitate formę, vt rationes factę demonstrant.

Difficultatis punctum, & quorundam placitum.

VI. HIs ergo positis extra controuersiam, difficultas huius quæstionis est, an materia ex se habeat aliquam entitatem actualem. Potest autem illa particula ex se dicere negationem, vel causam formalem, vel efficientem, & in vtroque sensu tractanda est quæ-

stio, sed præsertim in priori. Nam de posteriori nulla est controuersia inter Philosophos catholicos, licet nonnulli Ethnici in eo errauerint. In priori verò sensu multi existimant, materiam ex se nullam entitatem actualem habere, sed omnino à forma. Quæ sententia videtur esse D. Tho. 1. part. quæst. 44. art. 2. ad 3. vbi ait materiam ex se esse tantum in potentia: & ideo nō posse creari nisi sub forma, & idem significat quæst. 45. art. 4. & quæst. 66. ar. 1. vbi ex eo principio concludit materiam non posse esse sine forma: idem quæstione 4. de potent. articulo 1. & quodlibeto 3. quæstione 1. & sepe aliās, & ita opinantur Thomistę Caeteran. de ente & essentia, cap. 5. quæst. 8. & 1. part. quæst. 76. art. 1. Ferrar. 2. cont. Gen. cap. 68. Soncin. 7. Metaph. quæst. 17. Iauel. quæst. 5. & idem tenet Durand. in 2. dist. 12. quæst. 2. & in 4. dist. 44. quæst. 1. Fundamentum huius sententię est, quia materia est pura potentia; ergo non potest ex se habere aliquem actum; ergo neque entitatem actualem. Prima consequentia probatur, quia actus opponitur potentię, & cum dicitur pura potentia, illud additum includit negationem omnis actus. Secunda etiam consequentia probatur, quia actualis entitas est aliquis actus; nam est ens actu. Antecedens verò est veluti commune axioma Philosophorum omnium sumiturque ex Aristoteli. 1. phys. tex. 69. vbi ait ita se habere materiam ex se ad res naturales, sicut res naturales ex se ad artificiales, ad quas tantum sunt in potentia, & 7. Metaph. c. 3. ait materiam per se neque quid, neque aliud huiusmodi esse. Et 1. de Gener. c. 3. dicit essentiam materię consistere in ipso posse, & 3. Metaph. tex. 3. & lib. 11. c. 2. & 5. Phys. text. 8. sentit materiam esse non ens actu, sed potentia tantum. Idem quoque docet Commentator eisdem locis, & ideo lib. de substantia orbis in principio, & 2. Physic. com. 12. ait, materiam substantiari per posse. In eadem sententia videtur fuisse Plato in Timæo, idque probat ex eo, quod receptium debet esse expers eorum omnium, quæ recipere potest.

Deinde probatur ratione idem antecedens, quia si materia non est pura potentia: ergo vel est composita ex potentia & actu, vel est aliquis actus. Primum dici non potest, vt constat ex sect. præced. & quia alias daretur alia potentia prior ipsa materia. Rursus si est actus, vel actus informans, vel actus subsistens. Non primum, vt per se notum est, aliās esset actus alterius subiecti & consequenter daretur aliud subiectum prius materia, quod repugnat rationi materię. Neque etiam dici potest secundum, primò quia actus subsistens est perfectior actu informante: vnde si ita sit subsistens vt informare non possit, semper est substantia completa; hac enim ratione angelicę substantię sunt perfectę & completę, quia sunt actus subsistentes, & qui ponunt substantiam cœli esse simplicem, dicunt esse completam, quia est actus per se subsistens. Denique Deus ipse, qui est perfectissimus actus, est actus subsistens, & non informans: ergo signum est actum subsistentem ex sua ratione esse perfectiorem informantē. At materia prima est imperfectissima, atq; adeo minus perfectā, quā quælibet forma substantialis, quæ est actus informans, & non subsistens. Et confirmatur; nam omnis actus siue informans, siue per se subsistens, habet aliquam operationem, vt patet discurrendo per omnes huiusmodi actus: materia aut prima non habet propriam actionem: non ergo est actus, sed pura potentia.

Quæstionis resolutio.

Vt quæstioni respondeamus seclusa omni ambiguitate terminorū, distinguamus quæstionē de entitate essentię & de entitate existentię: nā est valde controuersū quomodo hæc duo distinguantur in creaturis, & ideo certior est resolutio de vna, quā de altera. Rursus cū inquiritur: an materia habeat ex se entitatem

VII.

VIII.

tatem, & non à forma, dupliciter intelligi potest illa negatio: vno modo quod non habeat à forma intrinsecè, seu vt ab actu informante, & dante esse materiam per suam intrinsecam informationem: alio modo quod nulla ratione habeat suum esse per formam, seu per habitudinem ad formam, aut per dependentiam ab illa.

IX.
Materia & entitatem essentialiter distinctam à forma habet, & ab illa dependentem.

Dico ergo primo; Materia prima ex se & non intrinsecè à forma habet suam entitatem actualem essentia, quamvis non habeat illam, nisi cum intrinsecè habitudine ad formam. Loquor in hac assertionem de actuali esse essentia, vt in nominibus & modo loquendi conueniam cum authoribus contraria opinionis: quamvis in hoc sensu, & quoad hanc partem non video quomodo possit esse opinionum diuersitas: nam materia creata à Deo, & in composito existens, habet aliquam essentiam realem, aliqui non esset ens reale, sed essentia materiam non constituitur intrinsecè in suo esse essentia per formam: ergo per se ipsam habet suam qualemque entitatem essentia. Minor probatur, quia forma non constituit: intrinsecè aliquam naturam in suo esse essentia, nisi componendo illam per modum actus: forma autem non componit essentiam materiam, vt per se constat, quia materia essentialiter est entitas simplex, sicut & forma, & ex vtraque confurgit compositum. Vnde sumitur secunda ratio: nam omnis entitas simplex necessario habet per se ipsam intrinsecè & non per aliam entitatem, suam essentiam, quia in hoc consistit ipsamet ratio entitatis seu essentia simplicis: sed materia est essentia simplex: ergo. Tercio materia essentialiter est entitas incompleta: ergo intrinsecè non constituitur per formam. Pater consequentia, quia si formam includeret, nihil illi deesset ad rationem completæ essentia. Tandem ex ipsa ratione puræ potentia hoc ipsum colligitur: nam si materia haberet suum esse essentia intrinsecè per formam in suo essentiali cōceptu includeret actum formæ, non vt extrinsecum terminum, seu additum, sed vt intrinsecum actum formalem constituentem, atque ita non esset pura potentia.

X.

Dices, hæc argumenta rectè probare de esse essentia potentiali: non verò actuali. Respondetur, Si sit sermo de esse in potentia obiectiva, seu in virtute cause, & de esse in actu opposito huic potentia, sic non solum procedunt rationes factæ de esse potentiali, sed maxime de actuali, quia siue materia existat per entitatem à se distinctam, siue nō, tamen certum est, quod cum actu est coniuncta formæ, habet suam actualem essentiam, de qua (quidquid sit de existentia) procedunt omnia dicta, quod essentialiter est entitas simplex, actuabilis quidem per formam, non tamen includens in sua essentia intrinsecè formam. Et ideo, conseruata eadem numero entitate essentia, potest abijcere vnā formam & aliam acquirere: ergo per illam simplicem entitatem suam habet propriam perfectionem essentialē distinctam ab illa, quam forma confert: & similiter secundum illam habet actuale esse essentia: nam omnis essentia includit aliquod esse, saltē essentialē. Si verò sit sermo de esse potentiali, vt dicitur à potentia receptiua, & distinguitur ab actu actuante: sic verum est materiam solum dicere entitatem potentialem, tamen hoc non excludit, quin in illa qualicunque essentia seipsa sit intrinsecè constituta, & non per formam.

XI.

Quod vero materia non habet suammet entitatem essentia sine transcendentali habitudine ad formam, probatur, quia essentialiter est potentia, vt infra ostendetur, & patet ex definitione Aristot. dicentis materiam esse *primum subiectum*, & c. omnis autem potentia dicit intrinsecam habitudinem ad suum actum: proprius autem actus materiam est forma: habet ergo materia suam propriam essentiam per se ipsam cum habitudine ad formam. Hæc autem habitudine non est per se primo ad hanc vel illam formam,

sed ad formam absolutē: & consequenter ad quamcunque formam generabilem, seu quæ per generationem vniui possit: & ideo, quamuis in materia varietur forma, non variatur essentialis ratio, vel habitudine materiam. Quod etiam est clarum argumentum materiam non habere entitatem essentia ab informatione formæ.

Sed obijciunt aliqui, nam omne esse essentia debet esse constitutum in aliqua certa specie, sed omnis species est per formam: ergo nullum esse essentia potest esse plene constitutum, nisi per formam. Vnde D. Thom. 1. p. q. 4. art. 2. dicit, materiam contrahi per formam ad determinatam speciem. Ad hoc in superioribus fere responsum est, materiam rerum generabilium constitutam esse in vltima specie materiam, in qua specie non constituitur per eam formam, qua informatur, nam eandē semper habet sub quacunque forma. Cum autem dicitur, formam esse, quæ dat speciem, intelligitur de specie completa, & perfecta. Et eodem sensu intelligit D. Thom. materiam contrahi per formam ad determinatam speciem, vt aperte declarat sequentibus verbis dicens: *Sicut substantia alicuius speciei per accidens illi adueniens contrahitur ad determinatum modum essendi, vt homo contrahitur per album.* Quod exemplum solum adducitur ad declarandum hanc determinationem materiam per formam non esse, quoad intrinsecam essentiam ipsius materiam, sed quoad essentiam compositi, quæ quodammodo accidit ipsi materiam secundum se, quatenus modus existendi materiam sub hac, vel illa forma, non est de essentia materiam, sed variabilis in ipsa. Vnde D. Thom. in illo eodem articulo aperte supponit, materiam ex se habere aliquod esse præter illud quod dat formam: inde enim concludit, Deum esse causam materiam, quia est causa rerum, non solum secundum quod sunt tales per formas accidentales, vel substantiales, sed etiam secundum omne illud, quod pertinet ad esse illarum quocunque modo. Et eadem 1. p. q. 14. artic. 11. ad 3. ait; *licet materia recedat à similitudine desecundum suam potentialitatem, tamen in quantum vel sic esse habet similitudinem quandam habere diuini esse: & quæst. 3. de verit. artic. 5. ad 1. ait: licet materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primæ formæ, quantumcumque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primæ entis.*

Dico secundo; Materia prima etiam habet in se, & per se entitatem, seu actualitatem existentia distinctam ab existentia formæ, quamuis illam habeat dependentem à forma. Priorem partem tenet Henricus quodlib. 1. quæst. 10. & quodlib. 4. quæst. 16. Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. & 2. & ibidem Gregor. quæst. 1. Gabriel & alij ibidem. Fundamentum huius conclusionis supposita præcedenti, est, quia esse existentia nullam rem vel modum realem addit supra entitatem essentia, vt actualē, & exera causas positam, quia hoc ipso, quod entitas concipitur actualis extra causas, concipitur existens. Quod principium infra disputatione 34. ex professo probandum est. Ex illo autem euidenter sequitur materiam, sicut habet entitatem essentia actualem, distinctam à forma, ita habere suum proprium esse existentia, quod retinet sub quacunque forma. Vnde confirmatur; nam materia eandem numero entitatem actualem habet sub forma geniti, quam habet sub forma corrupti: ergo etiam habet idem numero esse, quo constituitur in tali entitate actuali. Illud autem esse est esse existentia, vt dicto loco probatur. Confirmatur secundo; nā materia, vt præsupponitur formæ, & est subiectum generationis non est omnino nihil, alias generatio fieret ex nihilo, est ergo aliqua entitas creata: ergo entitas actualis & existens, quia creatio non nisi ad actualem entitatem, & existentem terminatur. Nec subiectum reale esse potest, nisi sit in rerum natura existens. Denique talis est existentia rei, qualis essentia actualis: sicut ergo essentia substantia corporeæ componitur ex partialibus essentia materiam & for-

& formæ, ita etiam integra existentia eiusdem substantiæ componitur ex partialibus existentis materiæ & formæ. Quod in citato loco latius probandum est. Sequitur enim manifeste ex dicto principio quod existentia, & essentia actualis non re, sed ratione distinguuntur: ergo materia, ut est actualis entitas realiter distincta à forma, in sua entitate includit propriam partialem existentiam, in re etiam distinctam ab existentia partiali formæ.

Quod autem hæc existentia materiæ pendeat aliquo modo à forma, & ab informatione eius videtur negare Scotus, Henricus, & Gregorius locis supra citatis: contraria verò sententia, quam in 2. par. assertionis posuimus, communiter recepta est, quia materia, quamvis propriam existentiam habeat, illa tamen adeo imperfecta est, ut sine formæ adminiculo, naturaliter esse non possit: hæc vocatur in præsentia dependentia materiæ à forma. Qualis autem sit hic modus dependentiæ, declarari commodè non potest, nisi prius explicemus causalitatem formæ, & ibidem etiam tractabimus, an sit tanta dependentia materiæ à forma, ut sine illa nullo modo esse possit.

Dico tertio, Materia non habet ex se actualem entitatem, vel existentiam sine causa efficiente, sed oportet ut ab alio, scilicet à Deo, hoc esse recipiat. Hæc assertio secundum fidem certissima est; secundum Philosophiam verò non omnes admittunt esse demonstrabilem. Unde ex sententia Platonis materia ad omnem actionem, etiam Dei supponitur, & ideo infecta esse censetur, ut referunt ex Patribus Iustinus in orat. Parennetica ad Gentes, & Ambrosius lib. 1. Hexamer. cap. 1. & Athanasius libro de incarnatione. Verbi in initio, & ex Philosophis Plutarchus lib. 1. de lapidibus. Philopon. 1. Phys. tex. 6. & Themist. text. 35. De sententia verò Aristotelis dubiares est, quam tractabimus infra agentes de causa efficiente. Sufficiens autem demonstratur assertio posita, ex eo quod tantum esse potest unum ens per essentiam, & ab intrinseco necessarium, ut ostendimus infra, demonstrando esse Deum: illud autem ens non potest esse materia prima, nisi incidamus in eorum errorem, qui dixerunt materiam primam esse Deum, quem merito stultissimum appellat D. Thom. 1. p. q. 3. ar. 8. & 1. cont. Gent. cap. 17. nullum est enim ens substantiale magis distans à Deo, quam materia prima, nec quidquam magis Deo repugnat, quam illud munus, propter quod ponit materia prima, quod est recipere & esse potentiam passivam, actuari ac perfici: ergo materia non est ens per se necessarium, ac per essentiam: ergo non est ex se actualis entitas donec ab alio fiat & existentiam recipiat. Et confirmatur, nam esse ens actu ex se, & vi solius essentiae propriæ, est magna perfectio, quam entia finita perfectissima, ut sunt celi & angeli, non habent: imo illa sola est indicium infinitæ perfectionis: cū igitur materia imperfecta sit, non potest hæc perfectio ei convenire: sed hæc omnia latius tractanda sunt inferius locis citatis.

Corollaria ex superiori doctrina.

Ex hac conclusione sequitur primum, materiam factam esse per creationem, nec potuisse aliter fieri, & hoc sensu accipi debere, quod Aristoteles eā vocet ingenerabilem 1. Physic. c. 9. nam si intelligat, materiam esse omnino infactibilem, omnino errat, ut ostendimus: debet ergo intelligi, quod tali modo scilicet per generationem, producibilis non sit. Quod est evidens, quia materia, cum sit primum subiectum, non potest ex subiecto produci, aliàs supponeret aliud subiectum prius, quod repugnat: ergo non potest per generationem fieri: illud enim per generationem fit, quod ex præsupposito subiecto fit: relinquitur ergo ut solum possit per creationem effici: quia solum potest fieri ex nihilo. Dices hoc repugnat axiomatico recepto ab omnibus Philosophis: Ex nihilo

nihil fit. Respondeo, hoc solum esse verum respectu agentium naturalium, quæ sunt finita, & solum habent vim agendi per formam: non vero respectu Dei, qui est infinitæ virtutis, & summæ actualitatis, & primum ac per se ens, quod est causa prima totius entis participati, in quantum tale est. Recte vero inde concluditur, solum Deum esse posse effectorem materiæ primæ, quia proprium eius est creare, ut infra ostendetur.

Secundo inferitur ex dictis, materiæ entitatem esse incorruptibilem, quod potest ratione superius facta proportionaliter demonstrari: nam, quod potest corrumpi potest resolui in materiam præiacentem: materia autem non potest resolui in priorem materiam. Unde corrumpi, si proprie sumatur, solum competit composito ex materia & forma, quarum unio sit dissolubilis. Si verò extendatur ad ea, quæ cōcorrumpuntur (ut ita dicam) sic etiam potest convenire formæ, quæ à materia pendet in suo esse: quia ita destruitur, ut saltem maneat subiectum eius, si autem subiectum etiam primum destrueretur, non esset corruptio, sed annihilatio. Dices hac ratione recte probari, materiam non esse corruptibilem in dicta proprietate, non vero, quod ad corruptionem compositi non possit omnino destrui seu amittere esse: videtur autem hoc modo posse corrumpi, seu destrui: nam agens naturale sæpe est potens ad expellendam unam formam, & non ad introducendam aliam, ergo hoc modo est potens ad destruendam materiam, cum non possit sine forma conservari. Respondeo nunquam posse formam expelli à materia naturaliter, nisi per introductionem alterius, siue hæc introductio fiat ab agente proximo principaliter, siue instrumentaliter tantum, seu dispositivè: atque hunc modum generationis & corruptionis postulat ipse naturalis ordo rerum. Quæ omnia in sequentibus ex professo declaranda sunt. Inde vero fit, non posse materiam naturaliter corrumpi aut destrui secundum esse proprium, sed solum secundum unionem ad hanc vel illam formam, vel secundum privationem alicuius formæ, ut Arist. dixit loco citato: Deus aut per suam potentiam posset materiam destruere: non corrumpendo, sed annihilando, suspendendo influxum, quo illam conservat, & concursum, quo in illa formam introducit: hoc autem solum est per potentiam extrinsecam Dei: unde non impedit, quo minus materia de se perpetua & incorruptibilis sit.

SECTIO V.

Utrum materia sit pura potentia, & quo sensu id accipiendum sit.

Solutio argumentorum, quæ contra nostram sententiam in præcedente sectione posita sunt, ex resolutione præsentis quæstionis pendet: non est enim nobis negandum, quin materia sit pura potentia, cum in ea assertionem Philosophi omnes convenire videantur: sed verus sensus illius locutionis explicandus.

Varia opiniones.

Discipuli ergo D. Thomæ communiter interpretantur materiam dici puram potentiam, quia neque ex se, neque in se habet ullam existentiam nisi per formam. At vero Scotus, Henricus & alii supra citati, distinguunt duplicem actum, formalem, scilicet, & entitativum, & materiam docent ex se habere actum entitativum, non tamen formalem, & consequenter aiunt materiam vocari puram potentiam in ordine ad actum formalem, non vero in ordine ad actum entitativum.

Qui-

XVII.
Secunda pars.

I.

II.

Capitulum in
1. d. 3. q. 3. ar. 2.
2. d. 3. q. 3. ar. 2.
3. d. 3. q. 3. ar. 2.
4. d. 3. q. 3. ar. 2.
5. d. 3. q. 3. ar. 2.
6. d. 3. q. 3. ar. 2.
7. d. 3. q. 3. ar. 2.
8. d. 3. q. 3. ar. 2.
9. d. 3. q. 3. ar. 2.
10. d. 3. q. 3. ar. 2.